

EXEGESIS.

Hic agitur de officio Actuarii in conscribendis illis, quæ reus sub tortura fatetur. Quod non est ita intelligendum, ac si reus in ipso actu torturæ, quo ipsius corpori cruciatus infertur, interrogari, & confessio ab ipso elici debeat: sed quod, ad interrogationem factam à iudice: numquid veritatem fateri velit, & responsionem rei sub tortura hærentis: se scilicet veritatem dicturum, statim cruciatus remitti & post relaxationem torturæ demum super certis articulis facti seu delicti commissi rationem concernentibus interrogetur. Vide quæ dicta sunt *ad artic. 58.*

Annotabit autem Actuarius (1) *Confessionem rei sub tortura factam*; & quidem ejusmodi verbis, prout ore confitentis excidunt, nihil eisdem addendò vel detrahendò, mutandò, vel invertendò. (2) *Quæ reus adhuc ulterius indicat*, & ad facti seu delicti veritatem facere queunt. Sæpe namque fatentur plura rei, quæ ad veritatem inquirendam valde conducunt. (3) *Numquid in rei veritate ea omnia ita reperiantur, prout reus confessus est.* Fit enim interdum, ut reus tortus ea fateatur, quæ nec sunt vera, nec ipse admittit. Proinde iudex ad ejusmodi confessiones non statim reum condemnare, sed prius apud illos, aut istis in locis diligenter inquirere debet, numquid eodem anno & mense, uti tortus confessus est, tale quid fuerit perpetratum, vel non? Quicquid igitur postea agitur, & in inquisitione, quod reus confessus est, veritati consentaneum esse deprehenditur, illud omne Actuarius bona fide, ordine & distinctè, uti supra dictum est conscribet. Illud namque circumstantialiter in protocollo notatum iudici quam maximè ad justam sententiam concipiendam prodesse poterit.

ARTIC. CLXXXVI.

Ut, quæ in convincendo reo geruntur, Actuarius perscribat.

Wie der Gerichtschreiber den Beweis verzeichnen sol.

Würde aber der Beklagte auf seinem Verneinen der Klag bestehen/ und der Ankläger die Hauptsach der Missethat/ nach laut dieser Ordnung weisen wolt/ so viel sich denn derhalb in demselben Gericht zu handeln gebührt/ das sol der Gerichtschreiber auch/ wie obstehet

betw